

I. De Authore libri, à quo & quando sit scriptus.

A Mose Genesin & quatuor libros sequentes esse scriptos, vera & constans Hebraeorum & Christianorum est sententia. Nec esset dubitandi causa, nisi aliqui veterum in eam venissent opinionem, authorem, vel certe instauratorem pentateuchi totiusque scripturae veteris Esdram fuisse. Scribunt enim Hierosolyma à Babyloniis expugnata, cum templo omnes simul libros sacros conflagrasset: per Esdram vero sacerdotem diuinitus afflatum ex memoria denuo conscriptos ac restitutos fuisse; quam opinionem inter Christianos scriptores primus habet Irenæus. Ab hoc alij postea videntur mutuati, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Hieronymus, Augustinus, Eusebius. Mirum vero, unde fluxerit, nisi forte ex libro 4 Esdra, ubi cap. 4. v. 23. sic queritur Esdras; Lex Patrum nostrorum in interitum deducta est, & dispositiones scripturae nusquam sunt. Et cap. 14. 21. Lex tua incensa est, propter quod nemo scit, quæ à te facta sunt, vel quæ incipient opera. Si inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum sanctum, & scribam omne quod factum est in seculo ab initio, quæ erant in lege tua scripta, &c. Sed quod pace veterum dixerim, totum hoc procul dubio est fabulosum; firmisq; coniecturis & argumentis refelli potest.

Cur hac quaestio explicanda.

Iren. lib. 3. cap. 25.
Tertull. de hab. mil.
Clem. lib. 1. Strom.
Hieron. aduers. Hel.
August. de mirab. script. lib. 25. 32.
Euseb. in chron.

PRIMUM, quartus liber Esdræ omnium consensu est apocryphus, ex somniis fabulæq; Iudaicis constat, teste Hieronymo. Sacra vero historia de hoc interitu vel àvaxavio quæ legis nihil habet. Atqui tantam iacturam non erat tacitura, cum alia singulatim recenseat, quæ incendio aut manu hostium tunc fuerunt destructa. Nec Esdras tam mirandum opus instauratae legis erat taciturus, qui res alias à se gestas tam prolixè prædicat. Nihil etiam huius legitur in Iosepho aut Philone. Tacuit id quoque Athanasius in sua synopsi de libris Mosis scribens.

DEINDE verisimile non est, potuisse omnes codices simul deleri, ut maxime id Babyloniis fuissent moliti, de quo tamen nihil legitur: cum sine dubio lex in plura subinde descripta exemplaria diuersis locis seruaretur. Certe Antiochi Epiphanis tyrannica edicta efficere non potuerunt, quin post plurimos codices seuerissime conquistos, extortos, conceptos & crematos, maneret nihilominus liber legis, custodia piorum, incolumis, ut testatur historia Machab. lib. 1. c. 1. v. 59. & c. 4. v. 48.

TERTIO: non est consentaneum Danielelem & Ezechielem Prophetas annis 70. captiuitatis libro legis caruisse; ac multo minus Ieremiam Prophetam, Godoliam principem, aliosque pios, accepta libertate manendi, pluribusq; immunitatibus impetratis, adeo nullam habuisse legis curam, quin vel unum codicem seruarent.

QUARTO; quis credat Zorobabelem principem & Iosiam pontificem cum tanta piorum turba ad instaurandam religionem & cultum absq; libro legis domum profectos esse, aut Haggæum, Zachariam & Malachiam Prophetas de lege reparanda nihil laboraturos fuisse, siquidem Legis liber, ut habet fabula, tunc nusquam fuisset.

QVIN-